



Lugderus ille in Frisia natus, insigni pietate & eruditione fuit praeditus. Itaque cum Carolus Francorum rex post multas clades tandem Saxoniam uicisset, atque inter alios Episcopatus unum Mummigrodi, quod postea ob celebre templum Monasterium dictum, constituisset, hunc Lugderum ob omnis generis uirtutes, primum eius loci praesulem ordinauit, Anno Christi septingentesimo nonagesimo quarto. Habebat Lugderus fratrem Hildegrinum Antistitem in Osteruick, quod postea Halberstat dictum fuit, uirum sanctum & eruditum. Itaque cum eo aliquoties de rebus dubijs conferebat, atque eius opera usus, omnia summa dexteritate in sua Ecclesia administrabat. donec tandem uita & officio optimè functus, coelestem beatitudinem per Christum acquisierit. Crantz.

omnia summa dexteritate in sua Ecclesia administrabat. donec tandem uita & officio optimè functus, coelestem beatitudinem per Christum acquisierit. Crantz.